Lettre du Roy Charles

Par laquelle il confirme la permission accordée par le Duc d'Anjou son fils aux habitans de Condom de se servir de Monoye frapée au Coin du Prince de Galles autre fois possesseur de la ditte Ville

en x^{bre} 1397.

Carolus Dei Gratia francorum Rex notum facimus universis presentibus pariter et futuris nos Litteras deffuncti patrui nostri Ducis andegavensis Comitis Cenomanensis et locum tenentis Domini Genitorio nostri in

Tresor Reg. 35 non cotté

partibus occitanis, vidisse formam que sequitur Continentes.

Ludovicus Regis

quondam francorum filius Domini nostri Germanus, ejusque locum tenens in partibus occitanis, Dux Andegavensis et Comes Cenomanensis universis tam presentibus quam futuris salutem.

Gravem querelam Consulum Condomii accepimus Continentem quod Cum tempore quo erant de obedientia Principis Wallarum in Civitate Condomii utebantur et mercabantur moneta et pecunia facta nomine et signo dicti Principis

et adhuc habent uti. Cum non habeant
abundantiam monetæ ſeu alterius
pecuniæ ſub ſigno dicti Domini
Regis francorum cum qua poſſint
uti ſeu mercari in eodem, cum adhuc
non ſint ſex menſes elapſi quod
ipſi ſunt ſub obedientia Domini
noſtri prædicti, et nonnulli officiales
dicti Domini noſtri fecerint certas
proclamationes in dicta Civitate, in
quibus continebatur quod nullus
eſſet auſus uti illis monetis, et hoc
ſub certis pœnis applicandis dicto
Domino noſtro Regi, quod eſt impoſ=
=ſibile gentibus fieri, quia cum ſit
ibi copia illius monetæ factæ ſub
nomine dicti Principis Wallarum
et non habeant aliquam aliam

pecuniam : cum qua poſsint emere
victualia et ſic poſsint gentes perire
fame.

Igitur ſupplicarunt nobis dicti
Conſules ſuper premiſsis eis providere
de remedio opportuno, noſque eorum
ſupplicationibus favorabiliter inclinati
eiſdem concedimus licentiam et auto=
=ritatem utendi illis monetis dicti
Principis donec et quouſque per dictum
Dominum noſtrum Regem fuerit
aliter ~~ſupplicatum~~ ordinatum.

Et ſi quis illorum Conſulum vel
aliquis Civis vel ſingularis dictae
Civitatis inciderit in poenis pre=
=dictis juxta praedictarum ordinationum
proclamationem eiſdem omnino

pœnam tam Civilem quam Crimi=
=nalem si quam incurrerunt erga
dictum Dominum nostrum Regem
vel incurrere potuerunt remittimus
et quittamus de nostra scientia certa
speciali gratia et autoritate Regia,
qua fruimur in hac parte, ipsosque
restituimus ad eorum patriam reset
bona ac eorum bonam famam.

Quocirca Senescallo agenensi
ceterisque justitiariis et officiariis
Commissariis reformatoribus Regiis
qui nunc sunt vel pro tempore
fuerint præcipimus et mandamus
districte injungendo ut dictos
Consules seu aliquos Consulares
dicti loci citeri vexent in Corpore

ſive bonis occaſione præmiſſorum Procuratori Regio et aliis quorum intereſt ſilentium perpetuum impo=
=nentes.

Item ſuplicarunt nobis quod Dum Seneſcallus et alii officiales Capitaneus et Capitanei dum veniunt in Civitatem Condomii compellant ipſos ſingulares et Conſules ad præſtandum hoſpitia, et ut eis provi=
=deatur de ſuppellectibus ad expenſas proprias &cª.

Quod ut firmum et ſtabile perpetuum perſeveret in futurum præſentes litteras ſigilli noſtri magni munimine fecimus roborari, ſalvo in aliis jure Regio et in omnibus quolibet

alieno.

Datum et actum Tholosæ anno Domini 1369, mense Novembris

Quas quidem Litteras et Contenta in eis si et in quantum rite et legitime facta fuerunt ac eisdem pacifice usi sunt eas et ea volumus approbamus, tenore que presentium Confirmamus.

Senescallo agennensi cæterisque justitiariis dictæ Senescalliæ vel eorum loca tenentibus et Cuilibet ipsorum prout ad eum pertinuerit mandamus quatenus privilegiis gratia que et Concessione in præ=insertis litteris Contentis uti et

gaudere pacifice et faciant nihil in contrarium faciendo aut a quocumque fieri permittendo.

Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret in futurum nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum salvo in aliis jure nostro, et in omnibus quolibet alieno.

Datum Parisius mense Decembris anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, et Regni nostri decimo.

Per Regem ad relationem Consilii

N. De Voirines.

Collatio fit cum litteris originalibus suprascriptis.